



Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspvrgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

Carthusianis montibus FUNDATORIS, qui VRBANO secundo, suo olim Parisijs discipulo, in summis istis Ecclesiæ difficultatibus, insigni constantiâ annis aliquot adstitit: sed amore solitudinis (Regiensi Episcopatu reiecto) in Calabriæ finibus apud Squillacum Eremum ingressus, ad finem usque vitæ, incredibili austeritate, plenus meritis, miraculisque conspicuus, obdormivit in Domino. Ex vita & Bre. Romano.

X.

AD TROIAM, seu SANCTIS BVICTORIS
 & 330. Sociorum Martyrum Thebaeorum memoria, qui anno Christi 280. ibidem ferro omnes cœsi, viatrices cum Victore Duce suo animas cælo transmiserunt. Ita & sub militum sago magna subinde latet Virtus; & castra præbent Theatrum Sanctitatis! Ex Can. Martyrologio.

XV.

HEDWIGIS Andecensis, BERICI RICHEZÆ Cognata, Henrici Barbatii Silesiae & Poloniae Princeps Coniux, hac luce, plena gaudio immortalibus addita est. Quæ eos brevi in DEI amore progressus fecit, ut raro exemplo, marito annuente, castimoniam coniugali toro triginta

Z2 annis

annis constantissimè sociarit. Corpus suum dure adeò tractans, ut summa hieme, nuda pedes per altissimas nives incederet. Cibum gustavit nunquam, nisi illum priùs e gentibus denis ternis, Servatoris exemplo, poplite flexo ministrasset; Vigilijs, inediâ, flagris gravissimè se afflixit. Vnde magnis à Deo ditata beneficijs, futura prædicere, ægros curare, arcana pectorum aperire, incessum claudis, lumen cæcis dare poterat. Rem divinam ita assiduè audiebat, vt proinde distichon de ipsa subiectum circumferretur:

In una Miſa non eſt contenta Ducissa;

Quot ſunt Presbyteri, tot miſas opeſat haberi.

Hanc olim ad Christi de Cruce pendentis effigiem preces fundentem dextrâ clavo solutâ, in bene precantis modum Soter Cruce signavit. Tandem rebus humanis Cracoviæ exuta anno P. C. N. M. CC. XLIII a Clemente IV. post mortem anno quarto & vigesimo Divis reliquis adscriptâ eſt.
Ex vita eius.

XXI.

COLONIÆ Triumphalis dies SS. VRSVLÆ, UNDECIES mille VV. & MM. quarum RELIQVIÆ Julie, Cliviæ, MONTIVM PROVINCIAS Sanctificant. De quibus qui plura sanctâ curiositate desiderat